DE METAMORPHOSI GELATINOSA VENTRICULI ET CETERARUM TUBI INTESTINALIS PARTIUM INFANTUM

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XXIII. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ERNESTUS MUSCAT

THURINGUS.

OPPONENTIBUS:

A. LEU, MED. DR.
E. BLASIUS, MED. DR.
C. BERNDT, MED. DD.

BEROLINI

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO

AMPLISSIMO

IOANNI WIEBEL

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, CHIRURGORUM CASTRENSIUM REIQUE OMNIS MEDICAE EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SUMMO, AUGUSTISSIMI REGIS MEDICO PECULIARI, REGI BORUSSIAE A CONSILIIS INTIMIS SUPREMIS, SECTIONIS PRO SANITATE PUBLICA TUENDA IN SUMMO MAGISTRATU RERUM CIVILIUM MEMBRO, SEMINARII REGII MEDICO - CHIRURGICI FRIEDERICO - GUILELMIANI ET ACADEMIAE REGIAE MEDICO - CHIRURGICAE MILITARIS DIRECTORI, COLLEGII BEROLINENSIS REM PAUPERUM CURANTIS MEMBRO, AQUILAE RUBRAE IN CLASSI SECUNDA ET ORDINIS CRUCIS FERREAE IN CLASSI SECUNDA EQUITI, LEGIONIS HONORAR. REGIS FRANCOGALLAE DECURIONI, ORDINIS RUSSICI ST. ANNAE IN CLASSE SECUNDA, ST. WLADIMIRI IN CLASSE QUARTA EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI etc. etc.

NEC NON

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

AMPLISSIMO

IOANNI BUETTNER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO-CHIRURGORUM EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SUPREMO, INSTITUTI FRIDERICO-GUILELMIANI ET ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE DIRECTORI; ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN TERTIA CLASSE, DE CRUCE FERREA IN CLASSE SECUNDA, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. VLADIMIRI, NEC NON ORDINIS REGII SUECICI VASANI ORDINISQUE BELGICI LEONINI EQUITI AURATO. ETC.

E T

VIRO

CLARISSIMO, EXPERIENTISSIMO

C. G. NEUMANN

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, A CONSILIIS IN COLLEGIO REGIMINIS SUPREMO, NOSOCOMIAE CARITATIS BEROLINENSIS DIRECTORI SECUNDO, SOCIETATIS EXAMINATORIAE MEDICAE MEMBRO, PLURIUMQUE SOCIETATUM LITERARUM SODALI.

VIRIS MAXIME COLENDIS

SUMMA VERECUNDIA ET REVERENTIA

HAS

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Praefatio.

Recentissimis temporibus viri medicinae peritis-
imi quendam infantum morbum observarunt,
uem adesse, peculiaria et maxime perspicua
ymptomata, quae intimam reproductionis orga-
orum affectionem ostendunt, indicant: qui mor-
us modo citius, modo lentius decurrit, pertina-
iter curationibus fere resistit, et plerumque mor-
em affert. — In sectione, hoc morbo maligno
efunctorum, creberrime fundus ventriculi, rarius
artes singulae tubi intestinalis reliqui, in mate-
iam gelatinosam mutata, inveniuntur. — Diag-
osis huius morbi medicis prioris aevi ignota
uisse videtur, cum in commentariis pathologico-
herapeuticis nunquam huius morbi mentio fiat,
t tantum in novissimis e. g. Richteri 1) thera-
ia speciali, de hoc pauca verba relata sint, qua-
ropter hanc rem maximi momenti ad dissertationem
pi am existimo. Praesertim igitur clarorum viro-

---

1) Richter's specielle Therapie. Bd. 5 p. 77.

rum Cruveilhier, 1) Jaeger, 2) Fleischmann, 3) Hunter, 4) Allan Burns, 5) Adams, 6) Rhades 7) imprimis hanc rem indagantium experientias et sententias dissipatas colligere, invicem comparare, ad systema coniungere, et ita in lucem publicam proferre, studui. Ex vero et bono, lectores! has pagellas meorum studiorum primitias iudicetis, precibus etiam atque etiam rogo.

---

1) Cruvilhier. Ueber die gallertartige Erweichung d. Magens und der Gedärme, von Vogel übersetzt aus dem Franz. ins Teutsche.

2) Jäger. Ueber die Erweichung des Magengrundes, oder die sogenannte Verdauung des Magens nach dem Tode. Hufeland's Journal d. pract. Heilkunde 1811. St. 5. S. 3—30. und über die Erweichung des Magens und Darmkanals von demselben. Hufeland's Journ. d. pract. Heilk. 1813. St. 1. S. 15—73.

3) Leichen-Oeffnungen von Dr. Gottf. Fleischmann, Erlangen 1815 S. 122—152.

4) Iohn Hunter's Bemerkungen über die thierische Oeconomie, im Auszuge übersetzt und mit Anmerkungen versehen, von K. F. A. Scheller. Braunschweig. 1802. S. 300—310.

5) Allan Burns. Observation on the digestion of the stomach after death. Im Edinb. med. and. surg. Iournal Vol. VI. pag. 129—138.

6) Adams. On the digestion of the stomach after death. In answor to Dr. Burns. Im London medical Iour. Vol. XXIII. p. 399-418.

7) F. Rhades. Ueber 3 Fälle von Magenerweichungen bey Hindern in Horn's, Nasse's Henke's, Wagner's Archiv. 1822. Sept. Octb. p. 226—253.

Symptomata et decursus morbi in genere.

Hic morbus plerumque infantes utriusque generis aetate mensium quatuor usque ad unum et dimidium annum infestat, et Cel. Jaeger 1) eum tantum sporadicum, Cruveilhier 2) sporadicum et epidemicum esse observarunt. — Praecipua causa fuit: si infantes ante tempus legitimum mammis matris removerentur. — Symptomata pathognomonica sunt: Diarrhoea mucosa, viridis copiosa, si morbus tubum intestinalem, stricte sic dictum corrumperet; vomitus biliosus, vel mucosus, si ventriculus ab eo afficeretur; diarrhoea et emesis simultanea, si ventriculus solus vel ventriculus cum tubo intestinali aegrotarent; porro sitis ardentissima et indelebilis, prostratio

1) Jaeger. Ueber die Erweichung des Magengrundes. Hufel's Journal d. pract. Heilk. 1811. St. 5. S. 8.

2) Cruveilhier. Ueber die gallertartige Erweichung des Magens etc. S. 73. etc.

virium maxima, marcor subitus, agrypnocoma creberrimis exclamationibus infantis et torminibus ventris interruptum. Pulsus modo acceleratus, variabilis, modo tardus; extremitates gelidae, facies collapsa et mutata; denique saepissime convulsiones omnium corporis partium et mors. — In cadaveribus sectis metamorphosis gelatinosa creberrime fundi ventriculi, rarius singularum ceteri tubi intestinalis partium, vel cum, vel sine perforationibus, vel dilacerationibus membranarum dissolutarum reperiuntur. Sed, ut morbus melius diagnoscatur, praeter illa signa essentialia etiam accessoria et totum morbi decursum exponi, necesse est. Sunt vero ratione decursus morbi habita duo stadia: acutum et chronicum discernenda.

1. Stadium chronicum s. prodromorum.

Morbi huius plerumque infantes aetate quindecim ad duodeviginti mensium afficientis stadium chronicum perdurat unam usque ad octo hebdomades. Infans modo sine, modo cum febrili pulsu, pro cibis captis, copiosiores patitur evacuationes partim viridium et mucosarum, partim vini faecibus similium excrementorum, quibuscum manus calidae, anorexia, nec saepe repetitus vo-

mitus, nonnunquam tensio et tormina dolorifica ventris coniunguntur, quo demum conspicue emaciatur. Paulo post tussis blennorrhoica accedit, quae magis a spasmo diaphragmatis, quam ab affectione idiopathica pulmonum originem ducere videtur et vomituritionibus vomituque finitur. Serius sola emesis infantem concutit, sine antecedente tussi; vires valde affliguntur; infans morosus evadit, non tolerat alios homines, imo aversatur ab iis, quos antea vehementissime amabat; semper dum lactatur, appetit mammas, quod eum sitis ardentissima indelebilisque excruciat, ita, ut oculos vasi bibitorio affixos teneat, id cupidissime et fortissime ad labia apprimat, atque non prius deponat, quam ad fundum exhauserit. Postulat vitra liquidi plena, aqua frigida vini aceto, vel pauxillo vini rubri mixta, ei gratissima est, sed quo magis bibit, eo magis non solum sitis, sed etiam cetera symptomata ingravescunt. Emaciatio universalis, praecipue vero colli, cuius cutis brevi tempore rugosa fit, repente augetur. Facies pallet, et peculiarem adspectum praebet, qui medicum peritum ventris morbum suspicari iubet; sed saepissime hunc pallorem cutis excipiunt viventes et hilares colores, qui spem sanandi excitant, attamen fallunt. Ita hoc stadium huius morbi valetudinis modo melioris, modo peioris vices subiens, benignum esse videtur, et saepe

saepiusque vel tussi, vel vomitu et diarrhoea communi commutatur, imprimis, cum parentes illa signa pro effectibus ventriculi pituita pleni, vel dentitionis difficilis habeant, sed paulo post haec symptomata ingravescunt, repentius vires dissolvuntur, et mors certa rapide obrepit, et hoc est

2. Stadium secundum vel acutum.

Quod vero haud infrequenter solum et sine praegresso stadio prodromorum apparet. In universum infantes tenerrimae aetatis a quatuor usque ad quindecim menses invadit, et duos usque quatuordecim dies perdurat. Plerumque vomiturítionibus et denique vomitibus continuis, atque tussi minoris momenti cum secreti deglutitione, si morbus ventriculum afficit; a copiosis vero putridum odorem spargentibus, viridibus, gramini conciso similibus excrementis initium facit, si morbus tubum intestini tenuis vel crassi corripit. Inter excrementa cibi capti non digesti facile discernuntur, quippe qui incredibili celeritate tubum intestinalem percurrunt. Saepe infans post plures vomitus gelidus fit, et eum quasi anima deficit. Pulsus, secundum experientias Iaegeri, Rhadis etc. plurimum est frequentissimus et celerri-

mus; sed Cruveilhier 1) eum semper tardum et variabilem se observasse dicit. Extremitates sunt frigidae, attamen functiones animi in statu sanitatis perfectae, quinimo saepe sunt auctae et illaesae remanent usque ad supremum spiritum. Morositos est maxima, omnia infanti ingrata sunt, nec medicum praesentem, nec olim dilectos parentes ferre vult. Nunquam per aliquot momenta eodem loco remanet, semper brachiis ferri cupit, caput sustinere non valet, quod modo in dextrum, modo in sinistrum humerum impendet. Nonnunquam dormire videtur, quamobrem nutrix ei procurans gradum figit, aut in lectum aegrum deponere vult, qui vero subito vehementer exclamat, usque dum ab illa rursus secum feratur. Extremitates sunt laxae et dependent, atque tantum temporis momentis, dolorem afferentibus, agitantur; status soporosus nonnunquam exclamationibus acutis motibusque vehementissimis, infantis languori non correspondentibus, interrumpitur. Semper infans altissime dormire videtur, sed tenerrime factus, expergiscitur. In sopore facies cadaveri non dissimilis est, oculi sunt semiaperti et sursum contorti, nonnunquam late distenti et immobiles; frigus superficiei totius

---

1) Cruveilhier etc. p. 77. etc.

corporis, praesertim vero extremitatum augetur, post viginti quatuor usque ad quadraginta octo horas emaciato iam luculentissima et summa adest; denique nonnunquam post dimidium, vel totum, vel plures dies, quibus status ominosus in meliorem et mitiorem transire videtur, syndrome symptomatum subito accumulatur atque increscit, plerumque respiratio fit tardior, inaequalis, stertorosa, et talis incessus vehementissimus infantem enecat; uonnunquem vero mors obrepit ita, ut nec mater, nec alii adstantes, infantem dormientem opinantes, iam mortuum animadvertant.

Cadaverum sectio.

Si, integumentis ventris persectis et reclinatis, omentum a maiori veutriculi curvatura seiunctum et intestina caute deorsum depressa sunt, ventriculi fundus illo loco, quo lienem attingit et amplissimus apparet, non raro etiam eius paries anterior et posterior colorem ex viridi glaucum atque rubicundo lividum praebent. 1)

Nonnunquam chymus extra ventriculum, inter hunc et splenem effusus, et tum aliquis locus

1) Jaeger. Ueber die Erweichung des Magengrundes Hufel's Journal. 1811. St. 5. p. 12. etc.

maioris curvaturae ventriculi apertus reperitur. In aliis ventriculus integer deprehenditur, locus discolor vero est quasi perlucidus, et eius pars media solummodo involucro peritonaei clauditur et continetnr, sed sectoris digito paululnm tendente vel premente statim disrumpitur. Illa fissura sive ante sectionem exstiterit, sive demum indagantibus manibus ortum duxerit, semper parte superiori curvaturae maioris invenitur, proxime adiacet ad vasa, quae dicimus brevia, et formam, in directionem huius curvaturae quadrantem, habet. Sed nec forma, nec eius ambitus limitibus circum scribi potest, cum eius margines sub digitis quasi dissolvantur, atque ruptura amplificetur. — Si vëntriculus aquae immersus est, margines aperturae fimbriis inaequalibus cincti esse videntur, quae ad instar floccorum mucosorum aqua moventur. Si ventriculus, nondum disruptus, dissecatur, eius membranae internae illo iam dicto loco usque ad tenuissimum et friabile involucrum peritonaei colore ex albido cinereo tinctae deteguntur, et mutatae in mollem mucosam gelatinam, quae spongia facile abstergi potest. Inde ab hoc centro, aut omnino, aut ex parte destructo, ad peripheriam versus illa gelatina sensim sensimque firmior invenitur, et denique tunica villosa sola apparet mollita et tumida, et ad remotiorem ambitum materia tunicarum ventriculi sana et firma

conspicitur. Jaeger 1) quidem semel usque ad pylorum villosam totam membranam molliorem et facilius separabilem, quam integram, detexit; creberrime autem illa metamorphosis solummodo saccum ventriculi coecum pessumdat. Cruveilhier 2) hanc metamorphosin vero etiam in iutestinis tenuibus, hic quidem rarius, sed saepius in crassis, praesertim superioribus coli partibus invenit, ubi etiam in maiori vel minori ambitu loci corrupti nonnunquam papulis ordinariarum variolarum non dissimilibus, copiosis et sammetum referentibus, dissertis pleni fuerunt reperti. Fere nunquam aut in dissolutis partibus, aut in earum locis affinibus notae essentiales inflammationis vehementioris apparent, attamen modo scissurae ambitus colore modice ex fusco rubro, modo membrana nervea sub molli et tumida villosa rubicundo, et modo involucrum peritonaei roseo tinctum fuit, saepius ab loco macerato striae pallide roseae extrorsum se extenderunt, et tunica villosa etiam remificationibus fuscis, quasi floccoso-dentriticis, variegata fuit. 3) Intestina, non disrupta, sunt aeris modice plena, semperque continent copiam uon parvam viscidi et semipel-

---

1) Jaeger. Hufel's Iournal. etc. p. 14.
2) Cruveilhier etc. p. 5. 8. 12 etc.
3) Iaeger etc. p. 15. etc.

lucidi, magnum ambitum obducentis muci; etiam chymus reperitur, et hoc in casu charta, tinctura roccellae tincta, per mucum et membranas ventriculi, ut in sano ventriculo, rubicunda reddita est, et membranae destructae nunquam foetidum, rarissime vix ingratum odorem sparserunt. — In uno cadavere non solum media aesophagi pars, sed etiam illae partes pulmonum, quae ei affines, corruptae fuerunt. In ceteris visceribus mutationes maioris momenti raro repertae sunt, tantum pulmones nonnunquam sanguine, etiam multo muco viscido satis repleti fuerunt, praesertim in infantibus stadio chronico defunctis; sunt quoque casus, in quibus cum illo malo ventriculi hydrocephalus acutus coniunctus fuit, ita, ut morbus ventriculi ab affectione cerebri etiam absconderetur, nec plane diagnosci posset. Et quidem hae complicationes cum inflammatorio-hydropica cerebri affectione non rarae sunt, quod praesertim recentiores Jaeger 1) et Rhades 2) obductionibus comprobant, quippe qui ulterior simul in tribus casibus partem pulmonis sinistri inferiorem obscuri, ex caeruleo-rubri coloris, et densioris consistentiae reperit, etiam illam cor-

---

1) Hufelands Iournal der pract. Hlkd. 1813 St 1 p. 96.
2) Horns etc. Archiv 1822 Septbr. Octbr. p. 233 - 243.

ruptionem gelatinosam nunquam a tunica villosa ad externam progredientem, sed semper ab externa ad villosam repentem, se observasse asserit, ita, ut faciei externae maior pars morbose mollita fuerit, quam internae. Notabilia etiam Jaegeri 1) experimenta sagacia recentiora sunt, quibus contenta correpti ventriculi liquida multo acido acetico gravida esse comprobatur, quocirca ille acidum aceticum, morbose secretum, quod illam metamosphosin gignat, esse credit. — Denique huc discrimen inter ventriculum potatorum mollitum et infantum, morbo ventriculi gelatinoso, defunctorum referendum esse meretur. Nimirum membranae ventriculi illorum non sunt tam tumentes nec volumine auctae, quam potius solito tenuiores, earumque substantia non est gelatinosa pulposa. sed magis friabilis et facile disruptu, simul villosa prorsus subfusco aut nigrescenti colore tincta est, atque multis manifestis venis varicosis notata, et corruptio denique magis aequabiliter propagata, quoque non est ab uno centro exiens, nec in peripheriam paulatim decrescens.

---

1) Hufelands Iournal etc. 1813 St. 1. p. 59 - 73.

Aetiologia.

I) Causa proxima.

1) Hunter causam proximam huius morbi succum gastricum, qui solummodo post mortem vi chemici menstrui membranas ventriculi solvat, esse contendit, quamobrem etiam hanc metamorphos.n ventriculi autopepsiam appellabat.

2) Iaeger priori tempore 1) quandam speciem gangraenae humidae, paralysi ventriculi effectam, posuit, quam paralysin vero quadam deturbatione naturalis efficientiae systematis nervosi in ventriculum, tanta nervorum copia praeditam, et eius functiones, a conditione sensibilitatis adeo dependentes, ortam esse, existimat. Serius 2) hanc explicationem eo modificavit, quod morbosam secretionem magnae quantitatis acidi acetici, quod illam peculiarem metamorphosin generet, deprava systematis nervosi in ventriculum, vel alias tubi cibarii partes vi effectam esse, dixit. Ei assentit Rhades 3).

3) Cruveilhier 4) vehememtissimam irritatio-

---

1) Iaeger. Hufelands Iournal etc. 1811 St. 5. p. 26.
2) Hufelands Iourn. d. pr. Hlk. Hft. 1813 St. 1. p. 73. etc.
3) Horns etc. Archiv. 1822 Septbr. Octbr. p. 252.
4) Cruveilhier etc. p. 84.

nem propugnat, quae iteratum et continuatum succorum alborum, sine dubio ad transpirationem destinatorum, affluxum efficiat, quo tenerrima textura partium tubi intestinalis expandatur et degeneretur.

4) Richter 1) per illam Cruveilhieri irritationem inflammationem veram intelligit, sed peculiarem, magis lymphaticam, chronicam atque a certis morbi causis ortam, qua de re et methodum antiphlogisticam adhibendam esse praecipit.

Equidem etiam illam degenerationem pro effectu alicuius et quidem magis typhodis, modo acutae, modo chronicae inflammationis habuerim, quae vero, cum nervosum systema magis affectum sit, methodo non severe adhibita antiphlogistica curanda sit, cum

1) vita validior arteriarum, sanguinem rubrum vehentium minus affecta sit, quam systema neroosum;

2) cum causae partim directe, partim indirecte debilitantes sint;

3) cum aetas tenerrima, cui hic morbus praecipue inhaeret, remedia debilitantia generatim non admittat;

4) cum omnia signa characteristica maximam virium labem indicent;

---

1) Richters specielle Therapie Bd. 5. p. 78.

5) cum secundum largam exqerientiam Cruveilhieri, viri hoc morbo peritissimi, artificialis sanguinis iactura morbum semper perspicue auxisset.

6) cum denique ex usu Cruveilhieri tantum remedium sensibilitatem tam hebetans: opium, et ex usu Rhadis tonum fibrarum compingens atque dissolutionem prohibens: acidum muriaticum oxygenatum prae ceteris plurimum iuverint.

2. Causa disponens.

Haec in magna et specifica sensibilitate tunicarum internarum vel ventriculi, vel aliorum partium tubi intestinalis versatur, igitur praecipue aetas infantilis tenera tempore dentitionis et delactationis dispositionem secum fert, quo etiam tantum ab est,. ut generatio sanguinis rubri tam perfecta, quam in progressa aetate existat, ut potius minor sit, atque systema lymphaticum praevaleat, et hac de re ad morbos, in repletione succorum lymphaticorum nitentes, e. g. scrophulosin etc. disponat. Plerumque delectatiouis tempore hic morbus orditur 1) nam ventriculus nutrimentis assimilatae et iam semi-animalis indolis assuetus, subito immodicis, alienis, saepius-

---

1) C veilhier etc. p. 84

que indigestibilibus alimentis aggravatur et aegre afficitur. Hanc obrem fundus ventriculi plerumque morbi sedem praebet, quum maiori nervorum et vasorum numero praeditus sit, in ipso etiam cibi diutius remaneant, et interna membrana mucosa ei minus firme, quam ceteris ventriculi partibus affixa sit.

3. Causae occasionales.

Causam occasionalem omnium frequentissimam, praecipuamque suppetit subitanea et ante tempus idoneum intsituta infantis delactatio, et vel mala, vel copiosior nutritio cibis solidis, imprimis crudis, nimium irritantibus, et in universum tenerae structurae tubi cibarii non congruentibus alimentis, porro nutrices diatheseos cachecticae, vel in genere tales, quae, quamvis lacte bonae indolis praeditae, attamen statui salutis infantis non respondent. Imprimis vero huic morbo ansam praebet vitiosus et vituperandus mos parentium multorum et medicorum nonnullorum liberos medicamentis, tempore periodico et certo, contra opinatam difficilem dentitionem, vel helminthiasin, vel accumulationem pituitae vexandi.

Cruveilhier 1) hunc morbum anno MDCCCXIX epidemiae instar grassatum observasse, et cum

1) Cruveilhier etc. p. 9.

eo multas diarrhoeas atque febres intermittentes simul coniunctas fuisse narrat. —

Sed extra huius commentationis limites non mihi positum esse videtur, si nostri morbi symptomata, tanquam effectus, ab illa superdicta degeneratione deducere, studerem.

Nimirum dum morbus adhuc in simplici et modica irritatione membranae mucosae tubi intestinalis versatur, tum etiam functiones ad vitam necessariae non aperte et vehementer perturbantur, et illa symptomata huius morbi characteristica nondum maioris momenti sunt. Nam sitis tantum modica et emaciatio minoribus vel copiosioribus deiectionibus per alvum vel os respondet. Sed simulac degeneratio initium coepit, statim aegrotum vexat sitis ardentissima et indelebilis, quae a tubi intestinalis irritatione maxima, affluxu vehementissimo succorum alborum effecta, et a copiosa secretione succi enterici, qui nulla absorptione restitui potest, originem duxit; illa morbosa irritatio tubi intestinalis causa etiam est, quae tunicae muscularis motum aut peristalticum aut antiperistalticum maxime et continuo excitat, hepatis et sine dubio quoque pancreatis functiones per sympathiam auget, et tali modo, ut materies secretae removeantur, aut vomitum, aut diarrhoeam efficit. Tussis creberrime est sympathica, et tantum apparet, si ventriculus, fere nunquam,

si tubus cibarius reliquus veràm morbi sedem praebet. Mnlto rarius pulmones ullo modo primitive affecti snnt.

Nonunquam tussis vomitui antecedit, etiam huic substituitur. — Subitanea et maxima imbecillitas generalis satis perspicue e maximis deiectibus sine restauratione deduci potest; facies pallida, lineamenta vultus mutata, morositas, anxietas, inquies et frigus extremitatum semper sunt necessaria, certaque signa omnium morborum tubi intestinelis, et, si in nostro morbo illa signa summum gradum assequuntur, hoc a dignitate huius organi, et celeritate degenerationis dependet. — Gravioris momenti est modus et numerus pulsuum, in quorum definitione Jaeger 1) etc. a Cruveilhiero dissident. Ille nimirum pulsum frequentem, celerem et irregularem, hic vero eum tardum, rarum et variabilem observasse prodit, qua de re Crouveilheir 2) has sententias edicit: „Cor, hoc organon, tam irritabile, quod saepe solum, quamvis status universalis torpidus sit, attamen aliqua morbosa metamorphosi organica, ad celeriores atque frequentiores motus cogatur, quo fit, ut in nostro tam vehementissimo et acuto morbo minus saepe et irregulariter con-

1) Iaeger. Hufelands Iournal etc. 1811 St. 5.p. 19. etc.
2) Cruveilhier etc. p. 87.

rahatur? Sed haec ipsa vehementia perturbationis, et degeneratio maxima hoc explenant. Nam omnis sympathia tollitur, si ea pars, quae alteram incitare debet, defuncta est. Ita saepe illum ventriculi et tubi intestinales morborum a vehementissima et per plures dies perdurante febri incipientem vidi, sed, simulac degeneratio initium coeperat, omnis frequentia pulsus et omnis ardor evanuit. Etiam ratio summae exinanitionis habenda est, qua non solum cordi necessarium sanguinis irritamentum subtrahitur, sed quoque sensibilitas cordis minuitur. Morbus noster igitur tum modo febri comitatus, si cum aliis passionibus complicatus est."

Sopor denique, vel potius coma vigil, per tempus doloribus vacans, in maxima exinanitione positum est.

Diagnosis.

Signa pathognomonica iam supra relata sunt, quocirca hic mihi permissum sit, nonnullos, illi similes morbos commemorari, comparare et inter se discernere, ne vehementius malum pro leniori habeatur, nec falsa curandi ratione vitium summe noxium et irrevocabile comittatur. Hi morbi sunt encephalitis, helminthiasis et diarrhoea vulgaris mucosa.

1) In encephalitide sopor quidem, sitis, prostratio (ut videtur,) maxima virium, vomitus etc. quoque observantur. Perspicua vero discrimina inter nostrum morbum et illam cerebri inflammationem habemus, nam: in encephalitide sopor continuo perdurat, et progrediente tempore augetur. Phreniticus infans tactus, conquassatus vel alio modo externe vexatus oculos vix aperit et statim claudit, nec queritur. Mitis vellicatio illum ne excitat quidem, et in genere animus externorum nihil percipere videtur; facies hoc statu soporoso turgida, rubicunda, calida apparet, ita etiam cutis universa. Oculi nitent, et vasculis rubris distinguuntur; nonnunquam infans puidem hoc sopore caret et exclamationes edit, hae autem sunt validissimae, vehementissimis atque motibus universalibus associatae. Verum in gelatinosa ventriculi metamorphosi exclamationes queribundae et lamentabiles sunt; coma minus somnolentum, quam vigil est; talis denique infans, quamvis comiter et suavissime appellatus, statim expergiscitur. Summa animadvertitur morositas, quam nil et nemo placare valet. Sensus internus non laesus sed potius acutus facillime percipit. Infans omnia male accipit atque male fert. Facies pallida et collapsa est, atque habitum morbis ventris infimi peculiarem praebet; oculi languidi, cutis omnis frigida et flaccida; sitis indelebilis et ar-

lentissima est, ita, ut aegrotans semper vitrum iquidis plenum vehementissime cupiat; sed non ta se habet phreniticus, qui nil cupit, et non nisi aliquid porrigatur, bibit; multo minus hic vomit et semper quidem cibos captos, aut minus ut magis digestos, ille vero continuo et praeprimis post potus vix haustos vomitu vexatur, si ventriculus morbi sedes est; et si intestina tenuia rassave laborant, diarrhoea viridis, putrida et coiosissima infantem summe debilitat. Etiam repiratio inaequalis, quae incipientem encephalitiem statim comitatur, signum diagnosticum ofert, ut denique ex omnibus appareat: cerebrum ic primitive, illic secundario vel sympathice afectum esse. Sopor quidem, collapsus faciei, cus pallida et frigida, diarrhoea copiosa etc. staium secundum hydropis cerebri acuti excipiunt, ed hoc casu anamnesis medico indaganti diagnon veram praebeat.

2) Symptomata, quae latentes in tubo inteinali vermes indicant, magnam etiam similituinem praesertim stadio prodromorum gelatinoe metamorphoseos largiuntur, nam crebriores dirrhoeae, quae vel cum, vel sini febrili pulsu, et anibus calidis connexae sunt, emaciatio univerlis, facies pallida, nonnunquam periodici affectus ervosi spasmi, conaulsiones etc. exstant; sed aec signa non sunt, sicut in morbo gelatinoso,

continua, potius plerumpue periodica, et cum temporibus valetudinis fere non perturbatae, alternantia observantur, ubi infans cupide edit, se movet et hilaris est; si porro diarrhoea adest, prostratio virium atque emaciatio multo minores sunt, sitis modica, ut lac haustum tam sitim, quam imprimis symptomata spasmodica compescat, et si sitis maior adsit, attamen nullo modo siti in metamorphosi gelatinosa insatiabili comparari potest, ubi simul appetitus, animi hilaritas et motus liberi omnino deficiunt, istic etiam cibi capti minus vel magis digesti sunt, et excrementa plerumque mucosa et saepe vermibus referta extruduntur; hic vero excrementa sunt viridia et cibi assumti integri evacuantur. Casus quidem enarrantur, ubi illa metamorphosis gelatinosa cum helminthiasi complicata exstitit, et hic sane diagnosis certa atque curatio apta difficillimae sunt.

3) Denique fieri potest, ut illa ominosa nostri morbi diarrhoea vulgari et benigna commutari possit. Sed hic symptomata sunt multo mitiora, vires non tantopere prostratae et absque facie collapsa, nec morositas denique, nec sitis tanta. Causae verae medico perscrutanti plerumque apertae sunt, et facile inventu, ita, ut malum genuinum statim diagnoscatur; hic morbus quoque mitis et benignus, et haud dubie brevi tempore usitata curandi methodo sanatur; sed non ita se

habet illic, ubi omnia hinc salutaria remedia e. g. resolventia, purgantia, antacida, roborantia etc. non solum nihil conveniunt, sed potius damnum afferunt.

Prognosis.

Prognosis huius morbi in genere pessima est, eius enim natura peculiaris usque ad hanc diem obscura, et hanc ob rem curatio minus vel magis incerta est; plurimi igitur casus morte finiebantur.

Ad prognosin hae conditiones plurimum valent:

Quo iuniores et teneriores, i. e. inter quartum et quindecimum aetatis mensem, infantes sunt, eo magis mortis periculum imminet, quippe quos plerumque stadium acutum corripit et necat, aetate vero magis provecti, i. e, inter primum et secundum annum, plerumque stadio chronico affliguntur, et saepe maturo et apto auxilio servantur. — Metamorphosis gelatinosa ventriculi ceteris paribus peior, quam tubi intestinalis est, nam motibus ventriculi antiperistalticis vires multo magis exhauriuntur, quam frequentioribus peristalticis tubi intestinalis, et ventriculus nobilioris dignitatis organon, praesertim eius fundus, adhuc integris noxiis per os captis imme-

diate magisque patet. — Degeneratio perfecta omnem restitutionis spem tollit, et minima extensio mechanica mortem disruptione minatur. Dyscrasiae, praecipue scrophulosa, item helminthiasis malum reddunt pertinax.

Complicatio degenerationis nostrae cum encephalitide vel hydrope eerebri acuto, quum hoc casu corpus totum intime et vehementissime afflictum sit, et plerumque morbus ventriculi, vel tubi intestinalis propter maius cerebri malum non diagnoscatur, semper mortem inducit. Sed multo minoris ponderis est complicatio cum febri intermittente, cuius Cruveilhier 1) in curatione nullam rationem habuit, solummodo, ut malum tubi cibarii vincat, studuit, et obtento fine, simul febrem intermittentem feliciter curavit. Omnium vero optimum est, si apto tempore nutrix infanti idonea inveniri et adhiberi potest, quae lac, fere solum remedium salutare, praebeat, et semper spes reliqua est, si infans a nutricis mammis non abhorret.

C u r a t i o.

Cruveilhier 2) prophylactica medicamina praecipit:

1) Maximam curam in eligenda nutrice

1) Cruveilhier etc. p. 49.
2) Cruveilhier etc. p. 92. etc.

quae generatim capillis fuscis, constitutione macra et aetatem viginti usque ad triginta annorum agens, sit, et omnia signa sanitatis et firmitatis, quin etiam nonnunquam temperamentum parentibus contrarium possideat. Infans ab ea prius nutritus validus esse debet. Si infans sine causis evidentibus languescit et emaciatur, nutrix non amplius adhibenda est, quippe quae lactenti conveniens nutrimentum largiri non valeat. Quod ad lac in ungui examinandum, ad eius consistentiam, colorem, ceterasque qualitates attinet, parum refert.

2) Infans lactens nunquam iusto prius a mammis matris vel nutricis desuefaciendus est. Unus annus sit modus medius temporis lactationis, attamen si nutrix exhausta est, infans vegetus, nonnullis mensibus ante illud tempus finitum depelli potest, tum vero maxima cura in nutrimentis eligendis adhibeatur. In genere iusculi et lactis partes aequales effectu optimo propinantur, parvae portiones temporibus definitis e. g. ternis horis porrigantur; praesertim vero fructus autamni, tam difficiles concoctu, non largiantur. Infans porro non subito a mammis removeatur, sed mammae tantum minus saepe praebeantur, et lac maternum demtum illis supradictis minoribus, e iusculo et lacte bubulo mixtis eo perveniet, ut infans primum singulis diebus tan-

tum bis, tum semel et denique prorsus non amplius sugat.

3) Parentes evitent, non adhibito medico, remedia rudi vulgo usitatissima, in usum vocare, sed potius medicum consulant; praesertim vero, si iam diarrhoea adest, omnibus catharticis et vermes pellentibus remediis abstineant. Persuasum habeant, infantes semper pituitam secum ferre debere, et hanc, ad tunicas intestinorum teneras investiendas et tuendas neccssarium esse. Et si secretio pituitae largior praesto est, plerumque tum nutrimenta copiosa, quibus infantes immodice implentur, tum medicamenta, minus vel magis irritantia, temere adhibita, ut causae sunt accusandae. Parentes etiam bene considerent, diarrhoeas infantum nunquam negligendas esse.

4) Si infans modo desuefactus dysorexia, diarrhoea et siti ardente laborat, emaciatur et eius facies subito mutatur, vel si tantummodo fructus succulentos, nutrimenta aquosa appetit, haec signa ventriculi debilitati, qui cibos solidos concoquere non amplius valet, plurimi habenda et statim infanti mammae restituendae sunt; atque bene cum eo agitur, si denuo sugens, a priori nutrice non abhorret, vel si haec etiamdum lactare valet, vel si infans alium nutricem non repudiat. Semper talis infantis maxima cura gerenda, nam ei morbus minatur, qui fere semper

exitu lethali fiuitur, si sibi ipsi relinquatur. Sin vero morbus ipse iam perspicue formatus est, tum severa abstinentia a potu alieno et cibo, doses minores lactis, balnea tepida et opium, caute adhibitum, unica sunt remedia. Praeter balneum, antiphlogistica et derivantia aegrotum debilitant, nec morbum minuunt. Cibis et potibus demtis vero organa morbida quasi ad requiescendnm coguntur, quo facto membrana mucosa non amplius irritatur, tunica muscularis non contrahitur et vasa absorbentia succos secretos resorbent. Parvus lactis mitioris et iam animalis usus intestina, nimium copiosis et heterogeneis nutrimentis irritata, sedat; balnea tepida universalia, quorum temperies pro arbitrio augeri vel minui potest, sudorem universalem modicum eliciunt, atque hoc modo benigne derivant. Extracti opii aquosi doses minimae, et aetati tenerrimae congrnae, sensibilitatem tubi intestinalis nimiam tollunt, atque irritationem compescuut.

Abstinentia a potu.

Asclepiades fuit, qui in universum abstinentia potibus in omnibns morbis severe praecepit, attamen hoc praeceptum e. g. ad febres, praesertim inflammatorias, non valet. Etenim inter omnes constat, hic potibus frigidis, copiose haustis, sanguinem, motu accelerato intra vasa calefactum,

refrigerari, eundem iactura quarundam partium ad praeparationem lymphae, sudoris, urinae etc. necessariarum spissatum, dilui, bilem crassam et corrodentem attenuari, et crises per cutem, renes et tubum intestinalem praeparari. Verum in nostro morbo, in metamorphosi gelatinosa alicuius partis tubi intestinalis, potus aut omnino, aut quantum fieri potest, denegati, remedium cardinale et basis reliquae methodi curandi existimanda sunt. Semper parentes, si inepta misericordia commoti, contra severa abstinentiae praecepta egerunt, subitanea auctione omnium symptomatum puniti sunt, nam vomitus, diarrhoea, languor, exclamationes, convulsiones atque sitis multo vehementiores, redduntur. Sed sicut medici nobis persuasissimum habemus, nullam aquam saccharinam vel gummosam per tubum percurrere, ita, ut eius actio digerens non irritetur, ut secretio et absorptio non afficiatur, et ut motus peristalticus vel antiperistalticus non augeatur, ita nobis studendum est, ut etiam parentibus secundum eorum eruditionem persuadeamus, hunc morbum prae ceteris conspicue et incurabiliter pessumdari, si infantibus aegrotantibus falsa et summe noxia misericordia moti plus, quam aequum est, potus largirentur. Quantum severa a potu abstinentia etiam verae inflammationi vel ventriculi vel in-

testinorum reliquorum conveniat, Cruveilhier duobus in casibus se vidisse contendit.

Diaeta lactea.

Abstinentia vero ne modum excedat, etenim magni refert, vires infantis conservare, ita, ut ventriculus vel intestina reliqua non irritentur, et huic indicationi diaeta lactea perfecte respondet. Lac hominum primum nutrimentum est, quod teneris organis infantum optime convenit, quod vero subito multiplicissimis, difficulter digerendis et vehementer irritantibus cibis nullo prorsus modo substitui potest. Prae omnibus igitur parentes, ut infanti aegroto mammae reddantur, studeant, quibus quidem fere abstinet, sed pertinaciter et semper denuo periculum lactandi faciendum est, atque denique scopus, ceteris cibis detractis, plurimum arripitur, praesertim, si infans modo ultra tres, vel quatuor menses desuefactus erat. Si vero infans ad sugendum adigi non potest, vel nutricis mammas tam fortiter mordet, ut illa ferri uon valeat, lac bubulum mulctum in portionibus minoribus adhibendum est. Intervalla vescendi pro aetate infantis et vehementia morbi modo diminuenda, modo prolonganda sunt, quod optime evenit, si vomitus et diarrhoeae ratio habetur, ita, ut largiores portiones, si illa

symptomata minuuntur, parciores vero, si augentur, porrigantur. Ceterum lac recenter emulctum cum aura benigne valida sorbeatur, necesse est. Nam incredibile est, quantum discrimen inter lac e mammis animalium recens, et inter lac iam per aliquod tempus conservatum: hoc multi ventriculi non ferunt, illud vero, si non omnibus, certe plurimis convenit, dummodo non nimiam copiam assumant. Lac foeminarum est utilissimimum, id sequitur lac asinae, et hoc excipit lac vaccae vel caprae saccharo conditum. Decoctum oryzae vel hordei, farinae solani tuberosi et panis albi iusculum, et hoc praesertim multo difficilius concoctu sunt. —

Balnea tepida.

Balnea tepida cum abstinentia et diaeta lactea in hunc morbum vi optimum adiumentum se praebent, et nonnunquam medelam cardinalem exhibent. Saspe enim parvi aegroti pertinaciter aliquem potum medicum omnino repudiant, et, quin enemata applicentur, si opponunt, quo casu balnea sola reliqua sunt. Gravissimus inter externam cutem et tunicam tubi intestinalis mucosam connexus sympathicus omnibus notus est, et numerosae res in facto positae sunt, quae, uti tepida in morbis ventris, sic in nostro morbo balnea

talis temperiei, ut sudor universalis eliciatur, adhibita, optimo benignoque effectu fuisse evincunt. Recommendandum vero est, temperiem balnei sensim sensimque affusa aqua calidiori conservari et augeri. Crueilhier 1) primo tempore balnea decoctis mucilaginosis emollientia, serius infusis herbarum aromaticarum, vel decoctis chinae irritantia et roborantia, imo herba tanaceti vel absinthii apposita, vermes pellentia reddenda esse praecipit. Vinum et alcohol, capitis affectionem symptomaticam adaugentia, evitanda sunt. Saepe infans antea inquietus et morosissimus post balneum vero quietus ludit, et quiete dormivit, semper autem cavendum est, ne aliquid aquae balnei bibat, cum sitis tanta sit, ut parvi digitos madefactos ad os ducant, quin etiam caput sub mergant. Cruveilhier singulo die duobus vel tribus balneis uti commendat, eorumque tempus ex aëtate et viribus infantis definiebat. Cum meliusfieri aegroto videretur, tum non interrumpi, sed usque ad finem morbi continuari iubet, nam larga experientia eum docuit; interruptione morbum iam sanatum confestim rediisse, vel meliorem valetudinem in peiorem versam esse. Si morbus chronicus confit, vel cum hydrope telae cellulosae coniunctus est, balnea non adhibuit.

1) Cruveilhier etc. p. 99.

Narcotica et alia remedia.

Cruveilhier extracti opii aquosi minimas doses et interne et in clysmatibus, praesertim in stadio primo adhibitas, ut optimum remedium laudat, sed degenerationis perfectae rationibus eas non satisfacere fatetur. Granum unum extracti opii aquosi in unciis duabus syrupi gummosi solvendum, huius syrupi unciam dimidiam tribus unciis aquae diluendam, et binis horis mensuram cochlearis minoris exhauriendum praecipit. Si morbus in ventriculo locum habuerat, opium in potu nullius boni effectus fuit, et saepe saepiusque vomitum produxit, sed in genere excellenter egit, si morbus intestina corruperat, semper vero, in clysmatibus adhibitum, optima efficientia fuit. Nimirum octava unius grani pars tempore matutino et vespertino, quin etiam ternis vel quaternis horis cum mucilagine lini vel amyli in anum iniecta, diarrhoeam nonnunquam subito compescuit, et aegroti valetudinem multo meliorem reddidit, quod fortasse evenit, eo quod intestinum crassum contentum non assimilat, sed tantum absorbet, et tali modo integrum cum ceteris partibus communicat. Laudanum liquidum Sydenhami extracto quidem opii aquoso irritantius est, sed non magis salutare agit. Eius dosis uno tempore

sumendā a tribus usque ad sex guttas est. Jaeger 1) vero, sibi curationem nunquam successise fatetur. Externe nimirum sinapismos, vesicatoria, et unctiones volatiles et spirituosas ad regionem ventriculi, et balnea tepida aromatica, interne vero acidum carbonicum, alcalia, opium, flores zinci, moschum, amara, aromatica, etiam purgantia remedia adhibuit, sed omnia frustranea fuerunt, quin etiam effectum horum remediorum sic ambiguum fuisse dicit, ut determinare nequeat, an mors suis medicaminibus accelerata, an retardata sit. Nonnullorum tantum infantum morbum, magis chronicum, sed iamiam provectum, mixtione e tinctura rhei aquosa, oleo tartari per deliquium, extracto aurantiorum immaturorum, succo diacodii et aqua foeniculi interrupisse credit; et (ita narrat,) cum hi infantes aegroti paulo post desuefactionem multis iusculis et cibis farinosis nutriti, in morbum cecidissent, omnino interdixit, iis mammis nutricis sanae statim restituendas esse recommendavit, et decoctum glandium quercus ustarum praecepit, quippe quae huic morbo praecipue mederi visae essent. Hoc modo infantes rursum, quamvis non post breve tempus, vires et sanitatem recuperasse refert. Sanguinis mis-

---

1) Jaeger Hufeland's Iournal etc. 1811 St. 5. p. 27.

sionis locales Cruveilhier 1) nunquam adhibuit, nam ex eius sententia morbus in vasis serosis versatur, nullo modo sangniferis, etiam metamorphosin gelatinosam non subito oriri, sed tarde praeparari credit, ita, ut, cum illa ominosa symptomata apparuissent, iam morbus ad tantum gradum pervenerit, quo sanguinis iacturae potius vires totius corporis consumerent. Similem rationem medicamentorum derivantium esse arbitratur. Qua de causa sinapismos, vesicatoria ad femora aut regionem epigastricam applicatt, sine omni benigno effectu se reperisse narrat, sympathica enim irritamenta in morbum localem non amplius agere contendit.

Sed Cruveilhier attamen ea taepe saepiusque in usum vocavit, praesertim, si priora remedia effectum bonum non praestiterant. — In reconvalescentia ceteris roborantibus China est praeponenda. — Denique contra hunc morbum malignum experientia Rhadis 2) maximi momenti esse videtur, quippe qui aegro, omnibus illis characteristicis metamorphoseos ventricuii gelatinosae symptomatibus laboranti, aliis remediis frustra adhibitis, acidum muriaticum oxygenatum saluberrimo effectu se propinasse asserit.

---

1) Cruveilhier etc. p. 100.
2) Horn's etc. Archiv. 1822. Sept. Octb. p. 248.

CURRICULUM VITAE

EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Ernestus Ludovicus Muscat, evangelicae religioni addictus, Mulhusae, Thuringiae oppido, natus sum MDCCXCVII. VII. d. a. Idus Iunii. Puer tener patre orbus fui, senescenti vero matre optima adhuc gaudeo. Primis scientiarum elementis, quibus aetas puerilis iustrui solet, absolutis, gymnasium loci, duce Cel. Schollmeyer, ab anno MDCCCVIII. usque ad annum MDCCCXVIII. frequentavi, et hic literis, quae studiis academicis viam muniunt, diligentissime vacavi. — Idibus mensis Octobris anni MDCCCXVIII. seminarii regii medico-chirurgici, quod Friederici Guilelmi nomine floret, alumnorum numero adscrip-

tus, per septem semestria medicinae et chirurgiae studio assidue me tradidi, et hasce praelectiones frequentavi:

De mathesi et hodegetica beat. Kiesewetter, de physice, chemia et pharmacia Ill. Hermbstaedt et Cel. Turte, de historia naturali et botanice Ill. Link doctrinam mihi largiti sunt. Ill. Rudolphi encyclopaediam medicinae, anatomiam universam, comparatam, specialemque organorum sensuum et physiologiam audivi. Osteologiam, splanchnologiam et syndesmologiam Ill. Knape, artem cadavera rite dissecandi Ill Knape et Rudolphi me docuerunt. De physiologia generali Cel. Horkel, de physiologia tam generali, quam speciali Ill. Rudolphi et Cel. Eck, de magnetismo animali Cel. Wolfart, de materia medica et fontibus medicis Cel. Osann disserentes audivi. Adii praelectiones de pathologia generali, semiotice, de therapia generali et speciali Cel. Fr. Hufeland, de curatione morborum tum acutorum, tum chronicorum Ill. W. Hufeland, de morbis animi Cel. Neumann, de pathologia speciali Ill. Horn, de morbis syphiliticis Ill. Rust. Chirurgiam generalem et specialem Ill. Graefe, Rust et Kluge mihi tradiderunt. In doctrina formulas medicas concinnandi et medicina forensi Ill. Knape, in obstetricia et fascias imponendi arte Ill. Kluge duces mihi fuerunt. Exercitationes clinicas, et

medicas, et chirurgicas Ill. W. Hufeland, Graefe, Rust, Cel. Neumann et Wolfart diligentissime frequentavi. Deniqne per menses duodecim munera medici inferioris in nosocomio caritatis Berolinensi functus sum. Postquam officia medici inferioris militaris, quibus Mulhusae per fere tres annos praefui, ea vero, e meis ipsis precibus liberatus, reliqui, rursus Berolinum me contuli, et, tentamine atque examine rigoroso rite absolutis, dissertatione inaugurali publica defensa, spero fore, ut Gratiosa Facultas Medica summos in medicina et chirurgia honores in me conferat.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Omnes docimasiae pulmonum hydrostaticae usque ad hoc tempus usitatae non tam certam notitiam, quam causae forenses desiderant, nobis exhibent.

II.

Efficientiam aëris in corpus animale non solum per facultates mechanicas, vel chemicas sed potius organico-vitales explanari, necesse est.

III.

Generationem non nisi per epigenesin intelligere possumus.

IV.

Tetanus ab inflammutione medullae spinalis non oritur.